



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XXXVIII. Gregorii Papae I. Ad Cyprianvm Diaconvm. Ioannem  
religiosum commendat e schismate reuersum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

## EPISTOLA XXXVIII.

## GREGORII PAPÆ I.

AD CYPRIANVM DIACONVM.

Ioannem religiosum commendat e schismate reuersum.

*Gregorius Cypriano diacono.*

**I**OANNEM religiosum præsentium latorem, qui ex Istricorum schismate ad sinum sanctæ ecclesiæ Deo reuelante accepta ratione reuersus est, dilectionem tuam, æquitate seruata, habere necesse est in omnibus commendatum, atque ei in quibus causa poposcerit ecclesiasticam tuitionem impendere. Cui etiam pro dispendiorum suorum subsidio, ab hac quartadecima præsentis anni indictione, annis singulis octo solidos dare te volumus, quos tuis per omnia noueris rationibus imputandos.

## EPISTOLA XXXIX.

## GREGORII PAPÆ I.

AD DONVM EPISCOPVM MESSANENSEM.

Georgium, si emendare se voluerit, commendat.

*Gregorius Dono episcopo Messanensi.*

**G**EORGIVS præsentium portitor degere, vt ait, in ciuitate vestra desiderans, apud fraternitatem vestram nostra se petiit epistola commendari. Cui, quoniam a praua se promisit actione compescere, quod petebat præuidimus non negandum. Et ideo sanctitas vestra de anima eius studeat propter Deum esse sollicita, atque eum adhortationibus suis ad viam Deo placitam reuocare: & si adiuuante Domino, vt promisit, ab omni se prauitate suspendens viuere honeste voluerit, fraternitas vestra pro mercede sua, vt prospexerit, eius sustentationi subueniat, ne forsitan ad male agendum excusationem sibi ex necessitate videatur assumere. Quid autem fraternitas vestra ex eius importunitate sit passura consideret, qui ad voscum nostris epistolis venit, quem nos sine auctoritate aliqua importunum valde in prece pertulimus.